

Q. N. 355/17.

197
II c
818

DE
NATAE TERRA PROLE

AD
T. LIV. H. R. L. I. c. VIII.

DISSERIT

M V S A R V M
ANTISTITES PROMOTORES FAVTORES
SPLENDIDISSIMOS GRAVISSIMOS

V. T.
ACTVI VALEDICTORIO
GOTTLIEB HENRICI GUNTHERI

LANGENHENNERSDORFF. MISN.

CHOR. MVS. PRÆFECT.

ET
GEORGII AVGVSTI WALTHERI

LIEBSTAD. MISN.

IPS. KAL. MAI. A. O. R. MDCCCXXXI.

HORA IX. MAT. AVDITA

FREQVENTES INTERESSE VELINT

PIE AC MODESTE ROGANS

M. GEORGIVS SIGISMVNDVS GREENIVS

R E C T O R.

M I S E N A E
EX OFFICINA LOEWIA



INSTITUT FÜR
HISTORISCHES
RECHT
UND
STATISTIK
AN DER
UNIVERSITÄT
ZÜRICH
VERGLEICHENDE
RECHTSLEHRE
UND
STATISTIK
VON
DR. H. STAMM
ZÜRICH
1902





TERRA filios in ipso orbe terræ, quæ omnium pa-
rens est & magna mater, a) & in ipso mortalium
genere, quod terræ & debet b) corpus, & red-
dit c), vix haberi & inveniri, dignum est miratu.
Sed pœnitet plerosque originis, natusque homo
sibi videtur ita, ut vel divino semine ipsum fecerit
ille rerum opifex & melioris mundi origo, vel
recens tellus, & ab alto nuper seducta æthere,
retinuerit cognati cœli semina, si sumque ipsum
dederit in effigiem cuncta moderantem Deo-
rum. d) Cœlum ergo ipsum petunt terrigenæ, e) lucidas inire sedes cu-
piunt, & adscribi quietis ordinibus Deorum. f) Totum prope cœlum,
si *M. Tullium* audiamus, g) humano genere completum est, omnesque
fere gentium plerarumque Dii, qui habentur, hinc a mortalibus profecti
in cœlum reperientur. Neque vero contenti mortales divino post
mortem nomine atque honore fuere, qui potius, jam tum, cum colerent
terras, vivi quoque, ut nomine ac titulo, ita cultu atque honore, consecra-
ri voluerunt, humanæ fortis obliti. h) Persarum reges, i) Alexandrum, k)
Augustum, l) alios, m) Deos Dominosque suorum dictos ac cultos, omnes
norunt, & posterioris ævi Imperatores ac principes eundem affectasse
divinum honorem, testis est, quem adorare solebant cives & clientes,
purpura, n) quam quidem purpuram novo nuper splendore in lucem
emisit, uti orbis literati, ita elegantioris omnis doctrinæ dulce decus &
præ-

2

- a) *Chartarii* Imag. Deor. Mogunt. 1687. p. 90. *Cic. De Legg. L. II. §. 56. Ovid. Met. I. 393. Fast. II. 719.* b) *Ovid. Met. I. 411. seqq.* c) *Cic. c. 1. d) Ovid. Met. I. 78. seqq.* e) *Horat. Carm. L. I. Od. III. f) Id. Od. III. L. III. 33. g) Tusc. Quæst. L. I. §. 29. h) Curt. L. IV. c. 7. §. 25. coll. L. VIII. c. 10. §. 29. i) Curt. L. VIII. c. 5. coll. Comment. Freinheimii. k) Curt. c. 1. & c. 7. 8. l) *Virgil. Ecl. I. 42. Horat. L. IV. od. V. L. II. Epist. I. 15. Propert. L. III. El. 3. & El. 10. & L. IV. El. 6. Add. Serv. ad cit. Virgil. locum, ex Cicerone probantem, facta Augusti immortalitatis, non ætatis, esse. m) Freinheim. c. 1. & Jo. Nic. Werner. in Corp. usc. Philol. Arnstadi. 1662. c. 1. n) Id. Werner. c. 1.**

DE NATA E TERRA PROLE.

præsidium grave, Vir Excellentissimus, *Adrianus Stegerus*. o) In tanto vero gentium fere omnium divinitatis studio datur omnino, *T. Livio* auctore; p) hæc venia antiquitati, vt, miscendo humana divinis, primordia sua augustiora faciat. Et, si cui populo licere oportet, consecrare origines suas, & ad Deos referre auctores, ea belli gloria est populo Romano, ut, cum suum, conditorisqve sui parentem, Martem potissimum ferat, tam & hoc gentes humanæ patiantur æqvo animo, quam imperium patiuntur. In tam illustri tamen urbis amplissimæ origine non pudit Romulum, adiciendæ multitudinis causa, ne vana urbis magnitudo esset, veteris consilii condentium urbes, qvi, obscuram atqve humilem conciendo ad se multitudinem, *natam e terra sibi prolem ementiebantur*, atqve locum septum densis sentibus inter duos lucos asylum aperuit, qvo ex finitimis populis turba omnis, sine discrimine, liber an servus esset, avida novarum rerum perfugit, idqve primum ad cœptam magnitudinem roboris fuit. q) Quale vero id consilium, *natam e terra prolem ementiri*? Illud scilicet Jovis apud *Ovidium*: r)

*Juppiter e terra genitum mentitur, ut auctur
Desinat inqviri.*

Fabulæ ac mendacio facile locus fuit priscis illis temporibus, qvibus, quæ gesta sunt, poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis, teste *Livio*, s) traduntur, sed veram investigemus *natam e terra prolem terræque filiorum*, media in progenie Deorum versantium, originem & genus. Volventibus nobis ac repetentibus rerum antiquarum commentarios apparebit, priscam gentem mortalium obscuram, nec satis liquidam, ignotamqve rerum originem, velut ipsum Deorum primum ortum, ad duo illa rerum credita principia, cœlum & terram, retulisse, hominesqve in primis non claris natalibus aut majoribus ortos, terræ, almæ omnium matri, vitam debere & genus, credidisse. Est ergo *γενεσις, ἀγενεαλόγητος*: t) sine gente u) vero, sine majoribus x) & sine

o) *D. Adr. Stegerus*, Supr. Cur. Reg. Elect. & Consist. Assess. Civ. Lips. Senat. Dissert. eruditissimam conscripsit, de Purpura Sacræ Dignitatis insigni. Lips. 1741. 4.
p) Præfat. H. R. q) *Liv. L. I. c. 8.* r) *Metamorph. L. I. 615.* s) H. R. Præfat. t) *Conf. Wolff. Cur. Crit. in Epist. ad Ebr. VII, 3.* u) *Horat. Sat. L. II. V. 15.* x) *Id. Ibid.*



sine patre y) homo, obscurus & ignobilis, quippe quod fuminum quondam a genere petebant splendorem veteres, eoqve maxime valere sibi videbantur, uti Ajax gloriari non dubitat : z)

*Atque ego, si virtus in me dubitabilis esset,
Nobilitate potens essem.*

Deinde cum omnia ex genitalibus illis corporibus, quæ mundus continet, fieri crediderint profani homines, a) illa vero natura sint diversa, ut alta cœlumque petat aër, terra vero inferius feratur, pro hac genitalium corporum diversitate res ipsæ habitæ sunt diversæ. Scilicet quæ humanis mentibus admiranda videbantur, cœlo lapsa antiquitus dicebantur, a) uti *Juvenali* :

*Cælo descendit γῶθι σερπτόν.
Tertius e cælo cecidit Cato !*

Abiectos contra, ignavos & extreme vituperandos homines terra genitos nominarunt veteres, ad quos illud *Persii* b) spectat :

O ! curvæ in terras animæ, & cœlestium inanes !

Ad eadem prima rerum principia statim relata videri poterant, quæ subita atque improvisa aliquando provenere, ita, ut terra non minus editi, quam cœlo missi, c) qui repente adessent, haberentur. De Jasonis terrigenis fratribus illud fortassis, valeret, de quibus *Medea* : d)

*Ipsa ego, quæ dederam medicamina, pallida sedi,
Cum vidi subitos arma movere viros.*

Pari quoque ratione, ut, qui sublimi ferire dicuntur sidera vertice, e) Diis chari, felices, majores, quam quibus fortuna noceat, habentur, f) ita contra terræ proles, humilis misera, depressa, periculi & timoris plena mortalium turba erit nominanda.

Serpis

y) *Taubmann*, ad *Plaut. Cist. Act. II. Sc. III. p. 390.* z) *Ovid. Met. XIII. 21. 22.* a) *Id. Met. XV, 244.* a) *Conf. Barb. Advers. L. VI. c. IX. & citatos ibi Min. Fel. Mar. Vict. & Hieron.* b) *Sat. II, 61.* c) *Conf. Taubmann. Comment. in Plaut. Perf. Act. II. Sc. III, p. 963.* d) *Ovid. Heroid. XII, 97. 98. Add. Met. VII. 120. seqq. Conf. Cal. Rbodig. Lect. Ant. L. XX. c. XXIIIX. f. 1136.* e) *Horat. L. I. Od. I. ult.* f) *Ovid. Met. VII. 60. 61. & Met. VI. 195.*

DE NATA E TERRA PROLE.

Serpis humi pavidus nimium timidusque procella. g)

Observamus porro, præstantissimos virtute, prudentia, viribus, Jovis filios a Poetis dici: sicuti ab omni se junctos humanitate, velut marinis editos fluctibus, Neptuno fuisse adoptatos legimus, quod & *Lycophronis* interpres probasse scribitur *L. Cæl. Rhodigino*, h) cui & robore insignes in eandem decuriam vocentur. Sunt igitur, qui terræ filios sævos dici ac immanes homines putent, quandoquidem & *Callimachus* immanitate ac truculentia præsignes feras terra prognatas voluerit. i) Exemplo sunt Gigantes, quos *Homerus* k) ἀργαὶ Φύλαξ, simul & vero λαὸν ἀτάσθαλον vocat, & iis, quid ferocius, in Deos hominesque unquam fuit? l) nec non Jasonis supra memorati Terrigenæ fratres, quos feros vocat eadem, jam dicta Medea, m) atque de his refert:

*Ipsæ terrigenæ, facinus miserabile! fratres
Inter se strictas conseruere manus. n)*

Terræ præterea prolem ac filios non alios esse, quam agrestes homines, pastorum & agricularum agmen, adstruere videtur *Christ. Wormius*. o) Ille scilicet, Moſen cum Saturno ingenioſe comparans, illud Saturni nomen, quo Orpheus ipſum γαῖης βλάστημα, terræ progeniem, vocet, idem eſſe atque Hebræorum illud אֱרֶצְ הַיְיִטָּן, adſtruit, quo quidem paſtorem & agricolam denotari notiffimum ſit, p) quorum e familia Moſes, qui Saturnus illi videtur, fuerit prognatus. q) Certe Romanorum hoc reſpondet conſilio, quo, agreſtes undique colligentes, natam e terra ſibi prolem ementiebantur. Namque ita, præter *Livium*, *Naso*: r)

*Jam luerat pœnas frater Numitoris, & omne
Paſtorum gemino ſub duce vulgus erat:
Contrahere agreſtes, & mœnia ponere utrique
Conuenit.*

Taceo,

- g) *Horat.* Art. Poet. 28. h) *Antiqv. Lect.* c. 1. i) *Conf. Id. L. Cæl. Rhodigin.* c. 1.
k) *Odyſſ. H.* l) *Ovid. Met.* I. 151. ſeqq. m) *Met.* VII. 36. n) *Ovid. Heroid.* XII, 99.
o) *In Corrupt. Antiqv. Hebr.* apud *Tacit.* & *Mart. Veſtig.* L. I. p. 66. p) *Gen.* IX, 10.
q) *Gen.* XLVI. 4. 6. r) *Faſt.* IV, 309.

DE NATA E TERRA PROLE.

Taceo, qui monstrosi corporis homines vocari terræ filios putant, s) idque ultimo loco addo, quod primo erat monendum, eos *Quintiliano* dici terra ortos, quorum genus abolēvit vêtustas, quique ad antiquam maxime inter homines gentem debeant referri, dum ille: Multum, inquit, auctoritatis affert vêtustas, ut iis, qui terra dicuntur orti. t) Hoc vel uno *Fabii* loco gravissimique scriptoris auctoritate revinci putat. *L. Cael. Rhodiginus* u) illos clarissimos viros qui terræ filios pro ignobilibus asseveranter exponunt ac prædicant, quò in genere *Taubmannio Etasius* etiam suo quodam jure visus est notari dignus.

Terræ filii non sunt florentissimi juvenes, quibus ad altiora studia accessum nunc gratulor, & in Academiam hoc vitæ Scholasticæ testimonio mitto. Honesto uterque loco natus est, animus inest utrique, non terræ affixus hærens, ignavus & inferiora secutus, sed alta petens magna vi & comatu. Scilicet

GOTTLIEB HENRICVS GVNTHERVS,

Langenbennersdorff. Misi.

indefesso studio, alacri ingenio, probitate constanti, modestia amabili, ita se commendavit, ut Summe Venerabili *Wilckio* nostro, Præsidi ac Patri Scholæ, quem DEVS fervet! inprimis fuerit dilectus, tantique viri hospitio integros sex annos uti ipsi licuerit. Hæc quidem ipsa felicitas insignis maxime est eximie optimi juvenis virtuti, & nunc, & olim, commendatio, qua freti, fausta & prospera quævis huic boni discipuli exemplo ominamur, Veterumque illud Feliciter! ipsi acclamamus, dum ultimum nobis ipse dicit Vale, recitata oratione

De Hortis, eorumque, cum sacro, tum politico, usu.

GEORGIUS AVGVSTVS WALTHERVS

Liebstad. Misi.

præclaris ingenii dotibus & naturæ indole instructus, nostro ante sexennium, & quod excurret, adscriptus est discipulum cœtui, inde gra-

s) *L. Cael. Rhodig. cit. l.* t) *Instit. Orat. L. III. c. VII. p. m. 177.* u) *Cit. l.*

QK Tt 818

X 3134175

8

DE NATA E TERRA PROLE.

gnaviter bonis literis & artibus dedit operam, easque desiderato semper excoluit studio, datis etiam publicis ingenii studiorumque speciminibus, ad altiora, quæ meditatus est, pergit, sed, pietatis memor, solvit vota ultima, dicta oratione

De S. Rom. Imperii Vicariis dictis Provisoribus.

Utriusque cœptis ut faveat Deus, solennia nuncupabit vota, Juvenis Patris B. nomine ac meritis, sui ingenii præstantia, morum integritate & modestia charus,

FRIEDERICVS AVGVSTVS BVRGERVS,

Misenensis.

De gravissimo in morte nostrorum solatio ab immortalitate animi petendo carmine germanico comprehensa. Horum vero solennibus ac precibus ut faveatis, Antistes & Patroni Mularum Gravissimi, nostrorumque ita alatis ingenia & studia, omni, quæ decet, pietate atque observantia Vos rogo atque obtestor.

P. P.

MISENÆ Prid. Kal. Maj. A. O. R. MDCCXXXI.



Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

197
II c
818

DE
TA E TERRA PROLE

AD
T. LIV. H. R. L. I. c. VIII.
DISSERIT

M V S A R V M
ISTITES PROMOTORES FAVTORES
SPLENDIDISSIMOS GRAVISSIMOS

V T
CTVI VALEDICTORIO
TLIEB HENRICI GVNTHERI

LANGENHENNERSDORFF. MISN.
CHOR. MVS. PRÆFECT.

ET
R GII AVGVSTI WALTHERI
LIEBSTAD. MISN.

IPS. KAL. MAI. A. O. R. CI⁹ IO CC XXXXI.
HORA IX. MAT. AVDITA
EQVENTES INTERESSE VELINT
PIE AC MODESTE ROGANS
GEORGIVS SIGISMVNDVS GREENIVS
RECTOR.

MISENAE
X OFFICINA LOEWIA

